ZUSAMMENGESETZTE HANDSCHRIFT: AENEAS SILVIUS PICCOLOMINI. IOHANNES GUALLENSIS. THOMAS SUBPRIOR OCART. HUMBERTUS DE ROMANIS ETC. TEXTE ZUR TÜRKENGEFAHR

Melk, Lambach, u.a., 3. Viertel 15. Jh. Seite 19r

Quelle: http://manuscripta.at/?ID=39405
Copyright: Melk, Benediktinerstift



At cum loquendi facultas cuius verba
simul et sentencie laudentur. Absque ope
memorie non possit haberi. Opus est ut
memoriam puer exerceat. Hec ingenii signum
imparius est. triplicemque virtutem habet.
sine labore percipit. fideliter retinet. et fa-
cile mutatur. huic diebus singulis aliquid
est committendum. Sive sint versus sive
sentencie graves. ex illustribus auctoribus.
Memoria namque penu sciencie dicitur. ac disci-
pline. et in fabulis musarum mater appellatur
quia gignit. et nutrit. hanc tu in utramque
partem iuvabis. Sive natura memor. sive
obliviosus fueris. Aut enim roborabis abun-
danciam. aut supplebis defectum. Ac versibus
parebis hesiodi. Sic enim ait. parvula si
temptes superadiecisse. pusillis. idque frequens
peragas grandis cumulatur acervus.

Hic hortatur regem ad grammatice studium

Quia vero Gramatica doctrine cuiusvis
hostium esse dinoscitur. Ac plus in recessu
habet quam in fronte promittit. desperataque
videri potest. Nisi ab ephebis. pueris que perci-
piatur. Admonere te paucis volumus. ne
hanc contemnas artem. quasi regio culmine
minus dignam. Nihil enim ex gramatica nocet
nisi quod supervacuum est. Cuius maximos
viros fuisse constat studiosissimos. ostendit
hoc in epistolis ad filium scriptis. Marcus
Tullius orator. idemque consul et patrie tutor.